Jahresbericht

des

k. k. Staatsgymnasiums

im

XIX. Bezirke von Wien

für das Schuljahr 1896/97.

Veröffentlicht vom

DIRECTOR KARL WOKSCH.

Inhalt:



WIEN 1897.
Verlag des k. k. Staatsgymnasiums im XIX. Bezirke Wiens.
J. B. Wallishaussers k. u. k. Hof-Buchdruckerei.

Adnotationes ad graecos Italiae codices spectantes.

Scripsit **Guilielmus Weinberger.**

Occasione data quaedam, quae annis h. s. LXXXXIII et LXXXXIIII codices aliquos bibliothecarum Italicarum perscrutatus adnotavi, cum viris doctis communicaturus operae pretium esse puto rem ita instituere, ut simul catalogorum indicumve ad graecos Italiae codices pertinentium conspectus proponatur.[1])

Initium facio a collectione codicum graecorum, quae inter Italicas principem facile locum obtinet, bibliothecam Vaticanam dico, cuius catalogi Leonis XIII iussu a. 1885 typis mandari coepti sunt; quo anno Henricus Stevenson senior codices Palatinos descripsit, a. 1888 idem codices reginae Suecorum et Pii II.[2]) secutus est a. 1893 Ottobonianorum catalogus ab E. Feron et F. Battaglini, anno denique 1895 Urbinatium a C. Stornajolo compositus. Stornajolo libros manuscriptos satis accurate descripsisse videtur[3]) neque multa habeo, quae addam ad volumina a Stevensonio curata. et primum quidem Palatinum 186 saeculo XI falso adscribit. librum, qui Apollonii Argonautica continet, cum celeberrimo illo Mediceo prorsus conspirare 120 fere versibus et subscriptione quae dicitur examinatis[4]) testari

---

[1]) Cf. *G. Ottino e G. Fumagalli,* Bibliotheca bibliographica Italica. volumen prius Romae a. 1889, alterum *(Supplemento)* 1895 prodiit, supplementum annuum a. 1896.

[2]) Cf. L. Duchesne, De codicibus manuscriptis graecis Pii II. *Bibliothèque des écoles françaises d'Athènes et de Rome.* XIII (1880).

[3]) Quod ad Urbinatem 110 adtinet, brevitati consulere potuit, si ad imaginum Philostratearum editionem Vindobonensem (p. VII; cf. Addenda tomo XV Meletem. Vindob. p. 308 inserta) lectorem relegasset.

[4]) Liber, si quae ad verborum divisionem pertinent et nominum propriorum indicium (cf. editionis Merkelianae maioris proleg. p. CLXXXVIII) excipias, plane cum Merkelii de codice Laurentiano adnotatione consentit. hic illic recte se habet, quod ex hoc Franciscus de Furia enotavit: I 2 accentus praepositionis μετὰ postea additus est, 17 ἠὲ, 34 βιστωνίδι, 93 νησσω; contra 74 ὀϊλεὺς, 114 e solito more (7 ἐννεσίῃσι est) ὑπειρεσίῃσιν in Palatino est. cf. vv. 94 et 101, ubi postea demum puncta, quibus litteras delendas scribae insignire solent,
λ ας
addita esse videntur ad διασθεις (neque accentum primitus fuisse puto) et ad πάντων. quod v. 34 varia lectione caret et 41 ὅς omittitur vix magni momenti erit, si aetatem respexeris, ad quam viri docti Laurentiani correcturas referunt (cf. Merkel LVIsq., CLXXXVIII, edit. Aeschyleae a Wecklinio et Vitellio curatae p. XIIII).

possum. ita eum descriptum esse, ut amanuensis saeculi XV vel litterarum formas, quae X vel XI in usu erant, imitaretur, me edocuit J. L. Heiberg, vir doctissimus et humanissimus (cf. Philolog. XXXXII 434 sq. et Archimedis editi III, VIII sqq.), et cum Palatinus Jannotii Manetti olim fuerit (cf. indicem possessorum p. 302), librarium a Ioanne Scutariota (cf. ind. scribarum p. 300)[5] diversum non fuisse in promptu erat suspicio, a qua tamen scriptura examinata mox vir doctus recessit. neque vero mirum est, quod alii aeque ac Scutariotes codicibus depingendis potius quam describendis (Florentiae ut videtur) operam navarunt.

Quod Stevensonium fugit auctorem opusculi de Herculis laboribus in codice Palatino 223 extantis Ioannem Pediasimum esse, iam nullius momenti est, cum librum Richardus Wagner adhibuerit in mythographorum graecorum editione Teubneriana, quae 1894 prodire coepit (I 247 sqq.). qui cum non omnia subsidia critica se congessisse ipse fateatur (p. XXXVIIII), e re erit commemorare libros, quos Domenico Bassi et ego examinavimus. ille in ephemeride cui inscribitur *Rivista di filologia* publici iuris fecit collationes codicis Vallicelliani C 46 (XXIII—I—361 sqq.) et Ambrosianorum A 80 et 115 (XXIIII—II—544 sqq.), ipse praeter Palatinum, a quo initium cepimus, et Vaticanum 1385[6]), quos a Wagnero collatos esse tum iguoravi, inspexi Barberinianum I 140[7]), Vallicellianum illum, Vaticanum 18[8]). Vindobonensi 195 ante paucos menses adhibito mihi persuasi titulum in eo libro aeque atque in Vallicelliano, de quo Bassi falsa refert, esse τοῦ βουλγαρίας χαρτοφύλακος καὶ ὑπάτου τῶν φιλοσόφων κυροῦ ἰωάννου διακόνου τοῦ πεδιασίμου. praeterea post φιλότης in Vindobonensi[9]) ἄθλους, quod in solo Vallicelliano esse Nicolaus

---

[5]) Quod ad codicem 159 adtinet, Graux (apud Heibergium p. 435) recte νοεμβρίῳ exhibet; in catalogo Stevensoniano νοεβρίῳ extat. ω vocis φλωρεντία ex ο correctum esse mihi videbatur.

[6]) Numerum 1386, qui apud Wagnerum bis legitur, typothetarum errori deberi propterea puto, quod cum schedis meis consentit Vitelli, *I Codici di Palefato* (*Studi italiani di filologia classica* I 247), qui librum iure saeculo XVI adsignat. e commentatione modo adlata (245 sqq.) addi possunt: Baroccianus 125, Laurentianus LX 19, Ravianus (Berolinensis) 9, praeterea (cf. *Studi* II 523 sq.) Riccardianus 76 (K I 28).

[7]) Pediasimum praecedit pars quaedam Moschopuli collectionis vocis Atticarum (de qua videas quae Bandini ad Laurent. LVI et 27, LVII 49 adnotavit; cf. Palat. 108, 238, 358) et eiusdem tractatus, cui Franciscus Nicolaus Tietze, cum e codice tum in Bohemia (Reginaehradecii) reperto Manuelis Moschopuli opuscula grammatica ederet (Lipsiae et Pragae 1822) inscripsit: Περὶ τῶν τοῦ λόγου σχημάτων (inde a p. 60 edit. adlatae usque ad Sapphonis fragmentum μήτ᾽ ἐμοὶ μέλι μήτε μέλισσα ibi p. 86 exhibitum). et Michaelis Syncelli μέθοδος περὶ τῆς τοῦ λόγου συντάξεως, quod opus in altera parte etiam codicis Bohemici tractato rhetorico Moschopuli adiungitur.

[8]) Titulus est: τὰ τοῦ ἡρακλέους ἄθλα. codex inde a f. 137v exhibet quae apud Wagnerum leguntur 250, 20 (ἔδεισε) — 251, 5 (ἐννεακέφαλον), 251, 21 (τρίτον εὐρυσθεὺς ἐπέταξεν) — 257, 4 (ἀπέκτεινεν), 257, 24 (εὐρυσθεῖ τάς βόας ἐκόμισεν; extrema capitis X verba, quae scholia tantum sequuntur).

[9]) 249, 10 πυθῶνα esse videre licet e voce θῆρα (250, 12), in qua exaranda simili modo sed satis dilucide librarius litteram α cum accento circumflexo coniunxit.

Festa[10]) propter errorem quendam Wagneri putabat, non minus extat quam in codicibus Rehdigeriano 30 et Meermanniano 359. apparet etiam e catalogis Vratislaviensi et Berolinensi[11]) versus in his libris ita distribui, ut Festa proposuit: τοὺς ἡρακλείους ἀνδρικοὺς δεκαδύο | ἐντεῦθεν ἐκμάνθανε, φιλότης, ἄθλους. ceterum Meermanniani memoriam a Rehdigeriano proxime abesse Leopoldus Cohn l. c. testatur, idem valet de Vallicelliano;[12]) Ambrosianos et Barberinianum, qui ad Palatinum prope accedunt, ullius momenti esse ad textum constituendum nego.[13])

Pauca addere liceat de opusculorum, quae in Vallicelliano extant, indice quodam codici ipsi vel ut accuratius dicam codicibus in unum comprehensis praefixo et ab Omontio publici iuris facto (*Bibliothèque de l'école des chartes* t. 49 — a. 1883 — p. 309 sqq.). omissa sunt quae inter Ioannem Pediasimum et Gregorium Corinthium intercedunt.[14]) ut hunc absolvam, titulus conspirat cum Parisino 2678, quocum libro aeque ac cum Meermanniano 322 (de quo catalogi Berolinensis supra adlati p. 83 conferenda est) finis fragmenti (p. 596 edit. Schaef.) consentit. aliquanto plura dicenda sunt de verborum indicibus quibusdam, qui ad Apollonium Rhodium et ad Euripidem pertinentes in indice illo codici Vallicelliano praefixo undevicesimo et vicesimo loco commemorantur. inscriptiones enim prorsus conspirant cum similium indicum subscriptionibus, quas e Vaticano 1389 eruit Nolhac,[15]) nisi quod ibi σκιπίωνι τῷ

---

[10]) Cf. *Rivista di filol.* XXIIII—II—141, ubi bene esse negatur, cur vocem φιλότης corruptam esse putemus. quam Stephani thesauro teste et Plato et Lucianus et aetatis Byzantinae scriptores ita usurpant.

[11]) Cf. catalogus codicum graecorum a philologis Vratislaviensibus a. 1889 compositus p. 35 et *Verzeichnis der von der königlichen Bibliothek zu Berlin erworbenen Meermanhandschriften* (*Berlin* 1892) p. 91.

[12]) Quae propria habet, nescio an e coniectura profecta sint; cf. 251, 19 δώδεκα ἀγῶσι τοῦτον, 255, 14 τὰ ἐκεῖ λυμαινόμενος, 256, 4 ταῖς ἵπποις.

[13]) Cf. scripturas, quas Ambrosianorum proprias Bassi adfert: (A 80) 250, 14 σπήλαιον δι' ἑτέρας ἀπέκλεισεν, 252, 10 τὸ λοιπόν, 253, 3 θήραν ἀνήζετο, 253, 23 ὁδοῦ, 257, 14 θερμαινόμενος, 259, 3 ἀχέροντα ταῦτα πεφραγμένος; (A 115) 252, 5 λάδωνα φθάνει et 8 ἔλαφον εἴλυφε (sic) (quas lectiones Wagner ex sola Allatii editione — cf. p. XXXVIIII — adfert), 252, 21 ἀνοίγειν δεόμενος, 255. 17 ὑπήκοον πᾶν θ., 257, 12 κατὰ ζ., 14 μεσημβρίας καὶ στὰς ἡλίω, 257, 23 δῶρον ἀπένειμε. — 250, 14 σπήλαιον τὴν τοῦ σπηλαίου ἀπέκλ. (quod Ambros. A 115 habet etiam in Palatino esse e Wagneri adnotatione non perspicitur.

[14]) Fragmentum illud τίνες αἱ ὀλυμπιάδες inscriptum, quod aetatis Byzantinae esse videtur (Olympiorum supputatio ad Constantini aetatem redigitur: ὡς συμβαίνει γενέσθαι ἅπαντας ὁμοῦ τοὺς ἀπὸ κτίσεως κόσμου χρόνους ἕως τοῦ μεγάλου κωνσταντίνου πεντακισχιλίους ὀκτακοσίους πρὸς τῷ ἑνί) et propterea memorabile est, quod Pissa filia Endymionis commemoratur, cuius alibi vestigium non inveni, tractare temporis angustiis coactus in aliud tempus differo.

[15]) *Bibliothèque de Fulvio Orsini* (*Biblioth. de l'école des hautes études* IIII 74) p. 180, 2. falso bis σημειωσεων habet pro σημειώσεως, Αλκηστις pro ἀλκήστιδι et ἤγουν quod post τραγωδίαις est omittit. ceterum in Vallicelliano, cum praemittatur quae in Vaticano subscriptio est, ἀρχή legitur pro τέλος. praeterea Nolhac non indicat quae ante indices, quos tertio et quarto loco commemorat, in Vaticano leguntur: πίναξ τῶν παρ' ἀπολλωνίω ἐν τοῖς ἀργοναυτικοῖς μετὰ τοῦ αὐτοῦ σχολίων ἅτινα ἐντυπωθέντα ἅμα αὐτῷ εὑρίσκονται (quae a Vallicelliano abesse pro certo affirmare nequeo) et ἀρχὴ τῶν παρὰ νικάνδρω καὶ τοῖς εἰς ἐκεῖνον σχολίοις ἅμα ἐντυπωθεῖσιν.

καρτερομάχῳ, hic νικολάῳ τῷ μαιουράνῳ legitur. cum autem libros quosdam Carteromachi, qui verborum indicibus condendis strenue operam navavit (cf. quae Nolhac p. 449 ad l. c. addit), per Nicolaum Maggiorani ad Fulvium Orsini pervenisse constet et inter eos Euripidis editio princeps sit, ad cuius quattuor fabulas unus ex indicibus pertinet (Nolhac p. 176, de Apollonii editione cf. p. 178), dubium non esse videtur, quin Nicolaus indices e codice Vaticano in usum suum transscripserit. quos in Vallicelliano excipiunt Photianae bibliothecae e Procli chrestomathia excerpta; extrema inde a verbis τῶν πολεμίων καί desiderantur (p. 248, 6 Westermannianae scriptorum metricorum vel p. 321, 11 Bekkerianae Photii editionis).

Quod denique ad carmina adtinet quibus Spaneae nomen praefigi solet, satis erit ad ea relegare, quae in ephemeride quae Byzantina inscribitur (I 317, 326, 331) John Schmitt exponit. codicibus, quos vir doctus describit, addendus est[16]) Ottobonianus 192, qui ff. 254—258 carmen exhibet, quod aeque atque in Barberiniano II 99 (cf. Schmitt 327 sqq.) initium capit a versu ὁ βασιλεὺς ὁ σολομῶν εἴρηκε πάλιν λόγον et desinit ὅταν ποικίλοις πειρασμοῖς ἐμπέσῃ παρ' ἐλπίδα. carmen ab eodem versu incipiens a Gedeone publici iuris factum esse e Krumbacheri enchiridio in adnotatione adlato comperio, in codicum Ottobonianorum catalogo, ad quem iam delabimur, carmen hoc solo titulo insignitur: Στίχοι πολιτικοί. maioris momenti est quod haud raro (cf. codd. 59, 178 f. 88, 194 f. 105, 227, 342 f. 191, 384 f. 365) operum quae sine auctoris nomine circumferuntur, initia non indicantur, ita ut cui codices ipsi praesto non sint ne catalogo quidem uti possit. tale aliquid valet etiam de his, quae sola referuntur de codicis 64 foliis 318—324: Τοῦ ὑπάτου τῶν φιλοσόφων Ἰωάννου διακόνου τοῦ Πεδιασίμου. eiusdem Pediasimi versus περὶ γυναικῶν πονηρῶν, quos in codice 362 f. 188 et 189 extare ex inventario quodam manuscripto comperi, catalogi typis impressi editores prorsus latuerunt; addo meo quidem iudicio nihil obstare, quominus codicis 362 folia 41—224 saeculo XV adscribantur.

Iam ut Bibliothecae Vaticanae volumina quae prodierunt absolvam, ad alterum volumen a Stevensonio curatum redeo. vix autem habeo quae adnotem. parvi enim momenti est, quod in Pii II codice 38 Iliadis argumenta metrica (de quibus praeter Ludwichii scriptiunculam academicam Regimontanam a. 1887 Schraderi commentatio annalium philologorum vol. CXXXVII inde a p. 577 inserta conferenda est) non septimo tantum, sed etiam sex prioribus libris adduntur, neque ad catalogum spectat, quod quae in codice 15 reginae Suecorum inde a f. 103 *de S. Crucis inventione* extant ab iisdem fere verbis (ἔτους διακοσιοστοῦ τρίτου ἐγένετο) incipiunt atque narratio, quam e Vaticano 866 Wotke edidit (Meletem. Vindob. XIII 300 sqq.[17]). plura de codicibus graecis, qui artiore

[16]) Praeterea de carminis codicibus adeas quaeso commentationes a Krumbachero in eiusdem ephemeridis t. V p. 217, 619 sq. et in Muelleriani enchiridii parte ad aetatem Byzantinam spectante (VIIII^2 803) congestas.

[17]) Cf. Vindob. theol. 247, 119^v et Duchesne, Praef. ad librum pontific. (*Biblioth. des écoles franç. d'Athènes et de Rome* II, 3) p. CVIII. — In Vind. hist. 61, 69^v—75 coniuncta habes, quae apud Iacobum Gretserum (Opp. t. II 425 sqq.) titulis Ὀπτασία Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως περὶ τῆς εὑρέσεως τοῦ τιμίου σταυροῦ et Εὕρεσις τοῦ τιμίου σταυροῦ seiunguntur; neque tamen codex cum Gretseri editione plane conspirat.

sensu Vaticani dicuntur, exponere possum; quae, cum catalogus etiamnunc desideretur, in aliud tempus differo. moneo tamen catalogum codicum Vaticanorum 1288—1421 extare in Nolhacii de bibliotheca Ursiniana libro quem supra attuli; singulos codices paginis 125 sqq. et 334 sqq. adhibitis facile invenies. item descriptionem codicum 1683—1806 indice sane carentem exhibet Petrus Battifol commentatione cui inscripsit: *Les manuscrits grecs de Lollino.* (*Mélanges d'archéologie et d'histoire* 9, 28 sqq.).

Hactenus de bibliotheca Vaticana. reliquarum Italiae bibliothecarum quod permulti catalogi ad codices graecos spectantes aut utilissima catalogorum supplementa intra paucos annos emissa sunt, magna laus est Hieronymi Vitelli et Aeneae Piccolomini, qui alumnos suos ad graecorum codicum indices conficiendos excitant, conficientes indefessa opera omni ex parte adiuvant, catalogos confectos doctrinae luminibus exornant. qui catalogi opere continentur, cuius voluminibus inde ab a. 1893 emissis inscribitur: *Studi italiani di filologia classica.* et primo quidem volumini (129—232) Henricus Rostagno et Nicolaus Festa bibliothecae Laurentianae catalogi Bandiniani, qui Florentiae inde ab a. 1764 prodiit, supplementum inseruerunt *(Indice dei codici greci Laurenziani non compresi nel catalogo del Bandini);* cuius censuram egi in Annal. gymn. Austr. a. 1895, p. 658. codices quosdam, qui apud Bandinium delitescere videbantur[18]) *(Codici greci Laurenziani meno noti)* Rostagno addidit II 154. quod alterum volumen Vitelli ipse catalogo ceterarum quae Florentiae extant graecorum codicum collectionum exornavit (471—570: *Indice de' codici greci Riccardiani, Magliabechiani e Marucelliani*). praeterea ibidem (161—207) habemus Francisci Bancalari indicem codicum graecorum bibliothecae Casanatensis. ut bibliothecas Romanas absolvam, statim indicem adiungo codicum graecorum bibliothecae Angelicae a Pio Franchi de' Cavalieri et Georgio Muccio confectum (IIII 7—184). bibliothecas Borghesianam (p. 50), Corsinianam (p. 49),[19]) Vallicellianam (p. 54), Victorianam (*Vittorio Emanuele;* p. 50), et tabularium S. Petri (*Archivio di S. Pietro*; p. 56) T. W. Allen attigit, qui libello Londini a. 1890 emisso cuius titulus est: *Notes on greek manuscripts in Italian libraries* sat multarum bibliothecarum codices memorabiles, non omnes obiter (cf. Ehrhard, *Centralbl. f. d. Bibliotheksw.*

[18]) Non ea tantum quae addendis Bandini inseruit viros doctos latere comprobari potest Laurent. XXXII 16 (quem ad Tryphiodori editionem a. 1896 apud Teubnerum emissam adhibui). viri enim docti, qui poetas bucolicos graecos ediderunt tractaveruntve (cf. E. Hiller, Beiträge zur Textgeschichte der griech. Bukoliker. Lips. 1888, p. 5, Susemihl, hist. litt. Alexandr. p. 232, 102, C. Prinz, Quaest. de Theocriti carmine XXV et Moschi carm. IIII. Dissert. Vindob. V 77) aut de aetate codicis dubitant aut pro certo saeculo XIIII adscribunt; tamen disertum testimonium codicem a. 1281 exaratum esse Bandini adtulit. quod ad Megaram Moschi adtinet, titulus et in Laurentiano et in Vindob. 311, quem ex illo descriptum esse constat, est: ἡ μεγάρα λέγει τῇ πενθερᾷ κεχαρισμένως (quod melius certe se habet quam κεχαρισμένῃ, quod exhibent qui codicem inspexerunt). praeterea in v. 14 ἐριννύος Laurentianus (s) habet, 15 φίλον e φύλον, 47 sine dubio εὐφράνεις με, 52 νόσφιν δὴ πύρρης γε συναίμονος, 88 οἷος (sine ulla correctura).

[19]) Quae L. G. Pelissier de bibliotheca Corsiniana exposuit (cf. *Centralblatt f. d. Bibliotheksw.* 8, 176, *Mélanges* 9, 389) non ad scriptorum codices, sed ad fontes rerum gestarum spectare moneo.

X 191) descripsit. contra ne ex parte quidem typis mandati sunt indices codicum graecorum, qui in bibliothecis Barberiniana et Chisiana adservantur.[20]) magni momenti est Barberiniana et numero codicum et quorundam pretio; quae de codicibus Barberinianis ipse adnotavi partim huic commentatiunculae inserta invenies partim postea me publici iuris facturum esse spero.[21]) ut Allenii libellum absolvam, de bibliothecis, quas primo commentationibus a. 1889 et 1890 ephemeridi cui *Classical Review* inscribitur insertis, deinde libello modo adlato tractavit, si Romanas, de quibus agimus, et Senensem (p. 57) exceperis, inde ab anno 1890 iam accuratius edocti sumus; ad Lucensem et Pistoriensem mox redibimus. sed in libelli praefatione bibliothecas quasdam commemorat, in quibus codices graeci non extant — de oppido tamen cui *Viterbo* nomen est, conferas quaeso quae L. Dorez habet: *Inventaire sommaire des manuscrits de la bibliothèque capitulaire de Viterbo.* (*Revue des bibliothèques* V 241 sqq.) — et catalogos codicum, e quorum numero hoc loco adferam Martinii commentationem: *Les manuscrits grecs de la bibliothèque Malatestiana à Cesena. Corrections au catalogue de J. M. Muccioli*[22]) (*Mélanges* II 224—233) et librum, cui R. Zazzeri inscripsit: *Sui codici e libri a stampa della biblioteca Malatestiana di Cesena.* Cesena 1887 (cf. p. 226 sqq.) et A. Rocchi, Codices Cryptenses seu Abbatiae Cryptae Ferratae in Tusculano (Romae 1884).

Iam ad ordinem reversus Alexandri Olivieri indicem codicum Bononiensium commemoro (III 385—495: *Indice dei codici greci delle biblioteche Universitaria e Comunale di Bologna*) a Nicolao Festa (482—485) et (IIII 365—378) Victore Puntoni ita suppletum, ut iam omnes codices graecos Bononienses descriptos habeamus. Latina quae Bononiensis 3631 foliis primo et secundo leguntur e Floro petita sunt: I 17, 3 sqq. inde a verbis *faces inde quod* p. 38, 12 edit. Rossbach. (Lips. 1896) usque ad verba *duarum pater alteram* p. 40, 5. fragmentum, quod nullius pretii est (cf. 38, 14 voluntati suae ex statione mulctavit) cum codicibus Nazariano et Leidensi consentit, quos littera C Rossbachius complectitur, 39, 21 virginis pater cum solo Leidensi. contra quod ad codices graecos in bibliothecam Taurinensem post Pasinii catalogum (August. Taurin. a. 1749[23]) inlatos adtinet, quos omnes fere examinavi, non habeo quod addam accurato indici, quem C. O. Zuretti confecit (IIII 201—223: *Indice dei mss. greci Torinesi non contenuti nel catalogo del*

[20]) In bibliotheca Alexandrina codices graecos non extare testatur Henricus Narducci in praefatione voluminis ad bibliothecam illam spectantis, quo a. 1877 incohavit catalogum codicum manuscriptorum praeter graecos et orientales qui in bibliothecis publicis Romae adservantur.

[21]) Guilielmi Roeseleri librum Berolini a. 1890 emissum cui inscribitur: *Die Barbarina* non ad bibliothecam Barberinianam pertinere moneo, non quod exagitaturus sim auctores bibliothecae bibliographicae Italiae (vol. II, n. 6077), quod opus summa laude dignum ipso initio commentatiunculae meae honoris causa adtuli, sed ne aliis quoque accidat, ut codicibus librisve Romanis operam navantes in librum incidant de saltatrice quadam Friderici Magni temporibus Berolini celebri conscriptum.

[22]) Catalogus Caesenae a. 1780 prodiit.

[23]) De cod. Taur. CVII 7 (Pasini p. 395) cf. E. Martinii librum paulo infra inferendum p. 426 sqq.

Pasini). ut catalogorum supplementa absolvantur, hoc loco commemorare liceat opus a C. Castellani incohatum, catalogum dico codicum graecorum qui in bibliothecam D. Marci Venetiarum inde ab a. MDCCXL inlati sunt. quo anno moderatore Theupolo catalogus prodiit ab Antonio M. Zanetti et Antonio Buongiovanni vel potius ab hoc solo confectus.[24]) Castellani a. 1895 primum fasciculum ad codices quos vocant sacros pertinentem emittens in usum suum quoad fieri potuit convertit et Iacobi Morellii bibliothecam manuscriptam Graecam et Latinam a. 1802 incohatam neque vero ad finem perductam et bibliothecarum quarundam, quarum codices ad Marcianam pervenerunt, Dominici Mariae Berardelli catalogum dico codicum graecorum qui in bibliotheca ss. Ioannis et Pauli Venetiarum asservantur (*Nuova raccolta di opuscoli scientifici e filologici* XX, a. 1770), Ioannis Benedicti Mittarelli bibliothecam codicum manuscriptorum monasterii s. Michaelis quae a. 1779 prodiit, librum de graecis codicibus apud Nanios asservatis a Ioanne Aloysio Mingarelli Bononiae 1784 emissum. iam e maioribus codicum graecorum in Italia collectionibus, quarum catalogi ante multos annos editi sunt, una Neapolitana supplemento omnino caret; ignoramus fere, qui codices post Cyrilli catalogum (Codices graeci manuscripti bibliothecae regiae Borbonicae) a. 1826—1832 typis expressum e monasteriis inlati sint.[25]) Ambrosianae vero catalogi typis nondum mandati sunt neque fore ut brevi mandentur spes est; alias quasdam bibliothecas Mediolanenses commemorabimus, item Neapolitanam, ubi Meletemata Italica pertractaverimus.

Supersunt enim quae e volumine quarto adferantur commentationes, quarum uni Puntoni inscripsit: *Indice dei codici greci della biblioteca Estense di Modena* (379—538), alteri A. Mancini: *Due codici greci a Livorno* (541 sq.). de volumine quinto, quod hoc ipso tempore typis mandatur, Piccolomini vir doctissimus benigne me edocuit; in eo publici iuris fient *„gli Indici dei codici greci di Pistoia*[26]*) e Lucca (Festa), Biblioteca Universitaria di Messina . .*[27]*) (Fraccaroli), forse di Udine (Cosattini)"*. volumine igitur emisso de codicibus graecis Lucensibus et Pistoriensibus ad Allenii librum iam non recurremus. contra de codicibus graecis in oppido, cui nomen est Udine,[26]) adservatis pauca Henricus Omont adnotavit (*Centralblatt f. Bibliotheksw.* XI 415 sq.: *Notes sur quelques manuscrits grecs de la Bibliothèque archiépiscopale d'Udine provenant du cardinal D. Grimani*). idem in eiusdem ephemeridis tomo VIII

---

[24]) E 625 codicibus ibi descriptis cum 533 a Bessarione bibliothecae donati sint, adferre licebit Omontii commentationem: *Inventaire des manuscrits grecs et latins donnés à Saint-Marc de Venise par le cardinal Bessarion* (*Revue des bibliothèques* IV 129—187).

[25]) Cf. Rühl, Philologus I (XXXXVII) 587.

[26]) Codicum inventaria a Mazzatintio collecta infra commemorabimus.

[27]) Librum Messanae 1887 emissum, cui Matrangas inscripsit: *Il monastero del s. Salvatore dei Greci dell' Acroterio di Messina e s. Luca primo archimandrita del Cartofilacio o sia della raccolta dei codici greci di quel monastero* non vidi. ceterum de codicibus ex eo monasterio Messanam translatis quaedam adnotaverunt Diehl, Mélanges d'archéologie 8, 309 sqq. et F. Rühl, Philologus I (XXXXVII) 577—583 et 587. Rühl ibidem (583 sq.) de codicibus quibusdam Cataniensibus nos edocuit.

p. 489—497 de codicibus graecis Veronensibus nos edocuit (*Les manuscrits grecs de la bibliothèque capitulaire et de la bibliothèque communale de Vérone*).

Diligentiam et prudentiam quibus catalogi confecti sunt, qui Vitellio et Piccolominio auctoribus prodeunt, et accuratos illos auctorum, scribarum, possessorum indices, quibus maxime eorum, qui catalogis utuntur, commoditati prospicitur, saepius desiderabimus, cum ad reliquos nos converterimus catalogos. velut indicibus etiamnunc caret opus, cui E. Martini inscripsit: *Catalogo di manoscritti greci esistenti nelle biblioteche Italiane*. describuntur autem volumine primo, cuius sectio prior a. 1893, altera a. 1896 Mediolani prodiit, codices graeci Comenses (*Biblioteca Comunale* 289 sqq.),[28]) Cremonenses (*B. governativa* 297 sqq.), Ferrarenses (*B. Comunale* 327 sqq., *B. del cav. Cavalieri* 419), Genuenses (*B. universitaria* 321 sqq.),[29]) Mantuani (*B. ed Archivio Gonzago* 365 sq.), Mediolanenses (*B. nazionale di Brera* 1 sqq., *Archivio del capitolo Metropolitano* 41 sqq., *B. Trivulziana* 373 sqq., *presso don Mercati* 422), Neapolitani (*B. dei Gerolamini* 387 sqq.,[30]) *B. della società storica* 424 sqq.), Panormitani (*B. nazionale* 49 sqq., *Museo nazionale* 141 sqq.),[31]) Papienses (209 sqq.),[32]) Parmenses (*B. Palatina* 149 sqq.), Quiriniani (qui Brixiae, oppidum dico prope Mediolanum situm, asservantur 223 sqq.). magnae autem Martinio laudi tribuendum est, quod minorum bibliothecarum codices graecos in unum colligere studet. nam si catalogi non diserte ad codices graecos spectant, eo minoris iis, qui graeci cuiusdam scriptoris codices congerere student, pretii sunt, quod rarissime libri graeci seiuncti sunt, ex indicibus vero nunquam fere cognoscitur, utrum opus ipsum an versio latina vel italica in codice extet. iam si consideraveris tot catalogos extra Italiam praesto non esse, veniam me impetraturum esse spero, si non omnes bibliothecas, quae codices graecos continent, commemoravero.

Missos facio catalogos bibliothecarum, de quorum codicibus graecis Martinius aliive dedita opera nos edocuerunt;[33]) afferam alios quosdam, in quibus libros manuscriptos graecos describi constat. in catalogo Patavino non inveni nisi grammaticam graecam (I 23), de qua A. M. Josa, *I codici manoscritti della biblioteca Antoniana* (*Padova* 1886), p. 102 neque initio neque fine indicato

28) Comensis II 2, 59 Philostrati Heroicum, imagines, vitas sophistarum continet. item imaginum libris addendi sunt (cf. supra p. 3, adn. 3) Ambrosiani D 213 inf. (1 a; I 27, 28, 30, 31), E 81 sup. (1 b; exc.), G 69 sup. (1 c.), T 122 sup. (4 a). Ambros. G 69 ad Laudianum accedit, magis etiam Quirinianus B VII 14.

29) De ceteris eius urbis bibliothecis cf. A. Ehrhard, *Centralblatt* X 192 sqq., qui in universitatis bibliotheca codices graecos frustra quaesivit.

30) Cf. G. Jorio, *Codici ignorati nelle biblioteche di Napoli*. Lips. 1892.

31) In bibliothecam municipii Panormitani codices non inesse Allenius p. VIII testatur.

32) Cf. *J. de Marchi e G. Bertolani, Inventario dei manoscritti della reale biblioteca Universitaria di Pavia. Milano* 1894.

33) Velut G. Antonelli, *Indice dei manoscritti della civica biblioteca di Ferrara. Ferrara* 1884, G. Biadego, *Catalogo descrittivo dei manoscritti della biblioteca comunale di Verona. Verona* 1892. — neque in animo erat respicere omnes libros commentationesve spectantes ad historiam bibliothecarum vel ad bibliothecas, quarum codices aut interierunt aut alio translati sunt, aut congerere perpauca illa, quae e Montfauconii Blumii aliorumque Itineribus Italicis etiamnunc ad codices graecos redundant.

haec adnotat: *Vi ha chi crede autore di questa grammatica il celebre Emmanuele Cryzoloro;* neque tamen alia graeca me fugere potuisse nego (Allen p. XII: *No Greek*). In Bibliotheca quidem Casinensi, cuius quattuor volumina a. 1873—1880 emissa mihi praesto sunt, unum codicem graecum inveneram (231; IIII 249) Euagrii, Gregorii Nazianzeni, Ioannis Damasceni quaedam exhibentem, cum e titulo commentationis actis acad. Neapol. a. 1878 insertae (G. Scherillo, *Esame di un codice greco pubblicato nel tomo secondo della B. C.*) didici in vol. II p. 221 sqq. vitam s. Ianuarii exhiberi e codice graeco codici 47 assuto; ceterum abbatiam Montis Casini paucos codices graecos possidere constat. addo mihi non contigisse, ut librum graecum Cortonensem in catalogo reperirem; unum enim ibi extare G. Mancini (*I manoscritti della libreria del Comune e dell' Accademia Etrusca di Cortona. Cortona* 1884) in praefatione p. III testatur neque vero codicem illum indicare suum habuit.

